



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 194. Quid specialiter sit addendum circa dispensationem ab Horis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

612

n. 41. & videtur certum, quia sola impotentia physica vel moralis excusat, qualem iste non habet: dari autem aliquando, saltem indirecte, obligacionem utendi suo privilegio, dictum est l. I. n. 847.

1231

§. IV. Si quis non possit orare nisi cum socio, putant l. Sanch. Diana, Tamb. n. II. Stez n. 403, non teneri adhibere socium; quod tunc dicunt esse verum Leff. & Garc., si non sit solitus orare cum socio: sed oppositum tenendum est cum Nav. Suar. Az. Bonac. Rodriq. Valent. Regin. Sanch. Castrop. Gob. n. 712. Spor. à n. 175. *Ills.* suprà, quia sic potest impleri præceptum, neque hoc medium est difficile vel extraordinarium, cùm fiat ordinariè in choro, & etiam alibi; alioquin etiam dicam eum non teneri orare, qui non posset sine conspicilio. Non teor tamen cum magno sumptu conducere socium, id enim esset onus extraordinarium, uti rectè *Ills.*

1232

§. V. Si quis damnetur ad triremes, multi cum Tamb. in Decal. l. 2. c. 5. §. I. n. 4. dicunt non teneri ad Horas, tum quia Ecclesia non censetur ei velle superaddere hoc onus, tum etiam quia breviarium non potest decenter ab eo tractari; Oppositum tenent alii multi apud Gob. n. 731. & Dian. p. 2. t. 10. R. 40., quia cùm decenter possit & sàpe debeat orare Deum, non est, cur absolvatur à Breviario, quādiu legere potest, nisi Ecclesia eum liberet, de quo non satis constat. Si tamen alicui intimata sit sententia mortis, excusari pro tribus diebus ante executionem docent Tancredi, Tamb. §. 8. n. 5. Gob. n. 709., quia illa mortis propinquitas parit perturbationem àequivalentem infirmitati, & utilius per alia exercitia devotionis se disponit ad mortem: An & quomodo excuset tenuitas fructuum beneficij, dictum est n. 1199.

1233

Q. 194. Quid specialiter sit addendum circa dispensationem.

dispensationem ab Horis. R. Hæc pauca : Dispensatio Papæ excusat etiam beneficiatum, licet supponamus eum ex justitia teneri orare, uti habet communis cum Gob. in Exp. t. 5. n. 729. Deinde ubique jam usū receptum est, ut Episcopus etiam hic cum causa dispenset ad breve tempus, Tamb. in Des. l. 2. c. 5. §. 8. n. 24. Quod etiam de Vicario Episcopi piasserit Gob. n. 714. & 729., causa autem est, si dubitetur de morali impotentia orandi. Etiam Superiores Ordinum possunt dispensare cum sibi subditis, Tamb. Gob. n. 730. Et specialiter potest Generalis Societatis J E S U, ac alii, quibus ille committit, commutare obligationem infirmorum in aliud opus pium seu orationem leviorem, uti refert 10s. t. 5. n. 42.

Q. 195. An & quomodo licitum sit ponere aliquid incompositibile cum recitatione Horarum. R. De hoc videri potest Gob. in Exp. t. 5. n. 732. Et cum proportione hic applicanda sunt illa, qua diximus l. 1. à n. 782. & l. 3. p. 2. à n. 1334.

Q. 196. Quid agere debeat, qui dubitat, an recitarit aliquam Horam, vel an aliquid omiserit. R. Præter illa, quæ habet Ref. 1. Busenb. n. 1237. referendus, adde seqq.

§. I. Si nullam habeat conjecturam, quod orabit, debet orare, quia præceptum est in possessione : Et contraria qui habet rationem aliquam vel conjecturam, quod dixerit hanc vel illam Horam, malè facit repetendo, quia aperit viam inanibus dubiis & scrupulis, ita cum aliis Laym. Sanch. in Conf. l. 7. c. 2. d. 34. Ills. t. 5. n. 40.; quod magis valet de scrupulo, de quo dicetur à n. 1350.

§. II. Causa prudens repetendi Horam aut illius partem non est, quod non meminerit se dixisse, dummodo non meminerit se non dixisse, & habeat

conje-